

efficacem ab illo descendente, qua voluntas ab indifferentia sua passiva quasi a somno excutitur, & reducitur de potentia ad actum. Nihil prorsus igitur ex decreto prædeterminante, & gratia per se efficaci timendum pro libertate humana; causa enim causando effectum ipsam non destruit, sed ponit. Confer, quæ superius dixi locis cit.

Si dicas, de ratione potentie liberæ esse, quod sit causa sui mortis, quod seipsam movere, & determinet. Respondet tibi S. Th. (Hic q. 83. art. 3. ad 3. q. 3. de malo art. 3. ad 3. 1. 2. q. 9. art. 4.) quod eadem liberum arbitrium sit causa sui mortis, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est: sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias; & sicut naturalibus causis movendo eas non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntarie, sed potius hoc in eis facit, operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. Movet ergo Deus potentiam liberam, non præcisè ut moveatur, & nihil agit, neque determinat præcisè ut determinetur; sed movet, & determinat tanquam primum movens, ut ipsa tanquam secundum movens primo subordinatum, & in suo ordine se etiam moveat, determinet, & agat, & quidem liberè, nimirum sub indifferentia iudicii, & servando potentiam ad oppositum; quia operatur in unoquoque secundum ejus proprietatem, moveque nedum ad substantiam, sed etiam ad modum actus.

Si reponas, potentiam liberam esse dominam sui actus; hoc ipso autem quo ab alio efficaciter, & infallibiliter determinatur, non est amplius domina sui actus. Respondet iterum S. Th. (Q. 3. de pot. a. 7. ad 13.) quod voluntas dicatur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; & idem determinatio actus relinquatur in potestate rationis, & voluntatis. Hæc est igitur causa hallucinationis Adversariorum, quod fingant libertatem humanam quasi alteram Deum, que in sui exercitio, & actu excusserit dependentiam a suo creatore. Quod quam sit alienum a fide, & recta ratione, novit, quisquis attendit ad iura Divinitatis, & conditionem entis creati. Idque jam patet ex dictis, & iterum patebit ex dicendis infra in resp. ad 6. instantiam Tournelii.

Præmitto 3. quod, si adversarii absolutè concedant Concilium loqui de gratia, de qua loquebantur Lutherus, & Calvinus, inde habemus, quod Concilium supponat dari gratiam efficacem, quando definit hominem posse dissentire Deo moventi; quia de gratia per se efficaci loquebantur Lutherus, & Calvinus, quando dicebant hominem non posse dissentire Deo moventi; propositio autem affirmativa vera, qualis est propositio Concilii, est de subiecto supponente.

Sed quidquid sit de mente Adversariorum: saltem certo certius est, Patres Concilii apprime novisse Lutherum, & Calvinum defendere gratiam per se efficacem; & ex eo principio inferri tolli libertatem. Vel ergo iudicarent Patres Concilii, antecedens esse erroneum, & hæreticum, vel dumtaxat illationem esse illegitimam, & hæreticam. Non primum, alioquin debuissent illud conceptis terminis proscribere, quod non fecerunt: ergo secundum: ita autem uno ore nos Thomiste omnes etiam iudicamus, nimirum ex gratia per se efficaci illegitimè, & hæreticè inferri eversionem libertatis; contrarium iudicant Molinistæ. Hinc videat æquus Lector, qui veris mentem Concilii assequantur, & an possit cum aliqua verisimilitudine asseri sententiam Thomistarum esse a Conc. Trid. damnatam. Circa concordiam doctrinæ Conc. Trid. cum doctrina Thomist. vide, si lubet, Antonium Reginaldum de mente Conc. Trid. & Antonium Massoulié Tom. 1. Diss. 2. q. 9.

His præmissis, in primis posset breviter responderi ad argumentum cum quodam recentiore Thomista distinguendo ultimam Min. sic: Decreto prædeterminanti, & gratiæ per se efficaci homo non potest dissentire potentia divinæ voluntati non subiecta, qualem adstruunt Adversarii, C. potentia divinæ voluntati subiecta, qualem adstruunt SS. Patres, & qualis debet adstrui, N. Verum est igitur, posse creatam voluntatem resistere divinæ motioni per se efficaci; quia ut ait S. Th. 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1. *Voluntas divina non solum se extendit ad hoc ut aliquid fiat per rem, quam movet, sed et etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius: & idem magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, id est, absque potentia ad oppositum, quod sue nature non competit, quam si moveretur liberè prout competit sue nature.* Sed etiam verum est, hanc dissentienti potentiam ita esse divinæ potentie subiectam, ut Deus possit facile voluntatem ita movere, ut reipsa non dissentiat, alioquin Deus non esset omnipotens, ut arguit

Aug. in Ench. cap. 96. & idem non sequitur ex illa potentia dissentienti, decretum non esse prædeterminans, nec gratiam a se efficacem. Hæc solutio est brevis, & optima, nascitur ex præcæcis fundamentis, neque quoad substantiam differt a sequenti; sed quia solutio communis in Schola Thomistica datur per distinctionem sensus compositi, & divisi, & hæc distinctionem totius viribus impertunt Adversarii, ne videamur eorum tela formidare, & hærentes modo loquendi recepto in Scholis nostris,

Resp. ad arg. N. Ant. ad Prob. D. min. Atqui decreto prædeterminanti, & gratiæ per se efficaci, &c. voluntas non potest dissentire, potentia consequente, potentia futuritionis, in sensu composito (hæc enim sunt Synonyma) hoc est, voluntas non potest simul jungere non actum cum motione ad actum, C. Min. quia, cum motio sit simul tempore cum actu, illum enim præcedit tantum natura, & causalitate, sequeretur, quod posset simul jungere non actum cum actu, quod implicat. Voluntas non potest dissentire potentia antecedente, potentia possibilitatis, in sensu diviso, hoc est, sub illa motione non servat potentiam dissentiendi, N. Quia, ut jam sæpè diximus (Hic q. 19. art. 8. o. & ad 2. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. & alibi) ex D. Th. & pluribus dicimus (est enim inconcussa, & fundamentalis ratio) sic Deus vult nos agere, ut etiam velit nos dissentire agere; & sic movet ad agendum, ut etiam moveat ad liberè agendum, seu, ut communiter dicitur, movet, non solum ad substantiam actus, sed etiam ad ejus modum, qui est libertas: & cum ejus voluntas sit omnipotentissima, & efficacissima, sicut & ejus motio, sequitur necessariò nos liberè agere, & consequenter nos servare sub ista motione potentiam illi resistendi, & eam abijcendi. Intellige semper, ut supra explicavimus (In 4. d. 11. q. 1. a. 3. quæstione. vic. 3. ad 2.) ex L. Th. non secundam resistantiam ad agentem, sed secundam impedimentum effectus.

Sic ergo intelligenda est hæc famosa distinctio sensus compositi, & divisi, ut sensus compositus conponat cum actu, aut cum præcæcis natura tantum ad actum non actum, aut actum oppositum; ut si dicas: *sedens potest stare*, significat in sensu composito, quod possit sedere simul, & stare, seu componere sessionem cum statione. Sensus divinus dividit actum non a potentia ad non actum, seu actum oppositum, sed a non actu tantum, seu ab actu opposito; ut si dicas: *sedens potest stare*, significat in sensu diviso, quod sedens sub sessione retineat potentiam standi, non tamen componendi simul stationem cum sessione. Uno verbo, sensus compositus importat potentiam simultatis, sensus divinus simultatem potentie.

Aliter Calvinus intellexit hæc distinctionem. Secundum illum sensus compositus componit actum cum potentia ad non actum; & hic est noster sensus divinus. Sensus autem ejus divinus dividit ab actu potentiam ad non actum, ita ut iuxta illam præmotus ad agendum non possit non agere in sensu composito, id est, stante præmotione non habet potentiam non agendi; possit in sensu diviso, id est, sublata præmotione, habet potentiam non agendi: sicut, inquit, vincetus catenis non habet potentiam currendi in sensu composito, id est, manentibus vinculis, habet potentiam currendi in sensu diviso, id est, sublatis vinculis. Hunc sensum hæreticum, quem damnamus, & execramus, non erubuerunt aliquando nobis imponere quidam adversarii, licet alii ex eadem schola, inter quos Annatus senior factus, & ipse Tournelius in quibusdam locis ab hac calumnia nos vindicent.

Hanc ergo distinctionem sensus compositi, & divisi, catholicè intellectam, non esse a Thomistis inventam, ut quidam somniant, ad eludendum hoc argumentum ex Conc. Trid. & alia a læsione libertatis petita, inde constat, quod Magister sentent. eam adhibuerit in 1. d. 38. circa finem, & ex eo insigniores Theologi eam usurparunt, præsertim S. Th. ibid. q. 1. art. 5. ad 3. specialius q. 6. de verit. art. 4. ad 8. ubi ait: *Dicitur communiter, quod hæc: Deus potest non prædeterminatum prædeterminare, vel prædeterminatum non prædeterminare, in sensu composito est falsa, in diviso vera: & idem omnes locutiones illæ, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter.* Audis: dicitur communiter: ergo erat jam communis hæc distinctio temporibus D. Th. Item q. 23. de verit. art. 5. querens, utrum divina voluntas rebus volitis necessitatem imponat, sibi objicit: *Quod non esse ejus, quod est volitum a Deo, non potest stare cum divina voluntate; hæc enim duo incompatibilia sunt, quod Deus velit aliquid esse, & non sit, unde sequi videtur rebus volitis necessitatem imponi;* respondet, quod, quavis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectus simul stat cum divina voluntate: non enim sunt ista incompatibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompatibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur: quia composita est, & conjungit actum cum actu. Ità S. Doctor, quem, nec detracta syllaba, adoptant, & sequuntur Thomistæ.

Hanc

Hanc etiam distinctionem ipsimet adversarii, & omnes tum Theologi, cum Philosophi adhibent, & adhibere tenentur. Cum enim dico: album potest esse nigrum, sedens potest stare, hæc propositiones apud omnes vere sunt in sensu diviso, falsæ in sensu composito. *Omnis, qui natus est ex Deo... non potest peccare.* Ep. 1. Joann. 3. verum est in sensu composito, falsum in sensu diviso. Prædeterminatus potest damnari; quod præcitur a Deo futurum, potest non evenire; verum est apud omnes in sensu diviso, falsum in sensu composito. Supposito decreto de unico mundo creando, Deus potest alium creare in sensu diviso, non in sensu composito. Christus potest non obire mortem resistere gratiæ congruæ juxta adversarios, non in sensu composito, sed diviso. Tandem in subiecta materia, Conc. Trid. definiendo liberum arbitrium posse dissentire gratiæ, loquitur de gratia efficaci, ut dictum est, quoquo modo sit efficax, quæro ab adversariis, quo sensu homo potest dissentire huic gratiæ efficaci, non scilicet in sensu composito, alioquin gratia quæ supponitur efficaci, non foret efficax; ergo in sensu diviso.

Respondent quidam ex adversariis, in sua sententia dissensum posse conjungi cum entitate gratiæ efficaci secundum se, quamvis non possit conjungi cum gratia efficaci reduplicativè ut efficax est. Data hæc subtilitate, ad quam non puto Concilium attendisse, nos possumus pariter respondere dissensum posse conjungi cum gratia, si spectetur secundum suam entitatem, & prout est accidens receptum in voluntate; sic enim est mutabilis secundum subiectum, in quo recipitur, juxta illud tritum, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; non tamen potest conjungi dissensus cum gratia, si spectetur ut est quædam vis omnipotentis divinæ, seu ut est virtus, & instrumentum divinæ artis. Ità respondet Alvarez disp. 93. de auxiliis, & responsio est D. Th. q. 24. de verit. art. 8. ad 6. his verbis: *Dicendum, quod ejus, quod recipitur in aliquo, considerari potest & esse, & ratio. Secundum quidem esse suum est in eo, in quo recipitur per modum recipientis; sed tamen ipsum recipientem trahitur ad suam rationem: sicut calor receptus in aqua habet esse in aqua per modum aque, in quantum scilicet inest aque ut accidens subiecto: tamen aquam trahit a naturali sua dispositione, ad hoc quod fiat calida & faciat actum caloris, & similiter lux ætherem, licet non contrariatur aëri. Ità & gratia secundum esse suum est in libero arbitrio per modum ejus, sicut accidens in subiecto (scilicet mutabiliter) sed tamen ad rationem suam immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipsum Deo conjungens.* Si ergo ad salvandam libertatem sufficit in sententia adversariorum, quod voluntas possit conjungere dissensum cum entitate gratiæ, licet non possit conjungere cum gratia ut efficax est; sufficit pariter in nostra sententia, quod possit conjungere dissensum cum gratia ut est res, seu entitas, licet non possit conjungere cum ea, ut est ratio, seu virtus divinæ potentie.

Est quidem discrimen, quod in nostra sententia gratia vi sua sit efficaci, non in opposita sententia; sed quoad concordiam libertatis non videtur discrimen. In opposita sententia gratia est efficax ex congruitate, qua supposita habet infallibilitatem effectum, & sub directione scientie mediæ habet infallibilitatem omnimodam; & tamen ista infallibilitas omnimoda non officit libertati, quia voluntas potest conjungere dissensum cum gratia secundum entitatem spectata, licet non possit conjungere cum ea ut efficax est; idem a nobis dictum puta.

Sed advertet, hanc potentiam conjungendi dissensum in utraque sententia esse dumtaxat antecedentem, & divisam ab actu, non consequentem, & conjunctam cum actu, quia juxta S. Th. cum actus sint in singularibus, ubi omnes circumstantiæ concurrunt, potentia consequens, & conjuncta cum actu debet etiam cum omnibus circumstantiis conjungi: unde si voluntas humana posset potentia consequente dissensum conjungere cum gratia efficaci, non solum conjungeret cum gratia, ut est res vel entitas, sed etiam ut ratio est, vel ut est efficax; quod implicat. At vero potentia antecedens, & divisa ab actu est, ut ita dicam, præcisiva, & potest respicere motionem gratiæ præcisè ut est res, seu entitas, & non ut est ratio, aut ut efficax. Et hinc videt, hanc distinctionem reincidente in distinctionem sensus compositi, & divisi.

Respondent iterum adversarii, admittendum quidem esse distinctionem sensus compositi, & divisi, quantum sensus compositus formari potest ex suppositione actus præcisè; ut, qui vult, potest non velle in sensu diviso, non composito; secus autem, si formetur ex suppositione antecedente inferente infallibilitatem actum: inde enim putant non stare libertatem, & dicunt, quod debeat intelligi sensus divinus sublata motione, & sensus compositus posita motione.

Sed contra: Prædeterminatio est suppositio antecedens, ex qua inferunt infallibilitatem actus, & tamen ex ista suppositione

antecedente secundum D. Th. mox laudatum, fit sensus divinus, & compositus, ita ut prædeterminatus possit damnari in sensu diviso, & non possit in sensu composito. Idem dic de præscientia Dei. Et quoad ipsam motionem, de qua est questio, quæ etiam ponit aliquid in voluntate, ex qua sequitur infallibilitatem actus dicit S. Doctor 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur. Non tamen est impossibile simpliciter, unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur: ergo motioni divinæ voluntas potest dissentire in sensu diviso, non potest in sensu composito.* Et ratio S. Doctoris, quam jam sæpè diximus, nec satis repetemus, est; quia infallibilitas, & efficacia tam divinæ voluntatis, quam divinæ motionis cadunt non solum super substantiam actus, sed etiam super ejus modum seu libertatem: non enim solum vult, & movet actus fiat, sed ut liberè fiat, & sicque servetur potentia ad oppositum. Unde perinde potest fieri sensus compositus cum actu, supposita illa voluntate, seu motione antecedente, ac si actus a sola voluntate procederet.

Petes, utrum possit etiam admitti, quod voluntas possit in sensu diviso frustrare divinum decretum, seu divinam motionem, sicut dicimus, quod possit resistere, seu dissentire in sensu diviso.

R. probabilis negativè: Ratio disparitatis est; quod frustratio, cum importet totalem, & absolutam evacuationem divinæ efficacitæ, sit aliquid secundum se impossibile, ad quod non datur potentia. At vero dissentire, seu resistere divinæ motioni, non quidem secundum resistantiam ad agentem, sed secundum impedimentum effectus, ut dictum est, quantum est ex meritis actus, ad quem Deus movet sub indifferentia iudicii, non est aliquid secundum se impossibile, ad quod proinde potest dari, & datur potentia.

Instat Tournelius pro parte Molinistarum q. 6. cit. de grat. art. 1. *Hæc reponitur (secundum sensum divinum, & compositum) videtur alius rem longe magis involvere, & obscurare quam explicare.* 1. Quia fatetur, voluntatem in sensu composito gratiæ moventi dissentire non posse: attamen Concilium asserit, eam posse dissentire in ipso sensu composito motioni divinæ; Deo, inquit, cor hominis tangente dissentire potest, si velit. Non potuit Synodus clarius sensum illum compositum exprimere. 2. Sensus ille compositus vel cadit in ipsam Dei motionem actualem, vel in actionem hominis; si in motionem Dei, cui voluntas in sensu composito dissentire non possit, adversatur, ut mox diximus, verbis Concilii, Deo tangente cor hominis. Deinde vero sensus ille omnino absurdus, & ridiculus foret. Quid enim est voluntatem in sensu composito gratiæ moventi non posse dissentire, posse vero in sensu diviso? Nisi eam posse sublata seu remota motione, illa vero stante non posse, quod sane ridiculum, & absurdum videtur. Perinde ac si quis, servata proportione, diceret, hominem vinculis constrictum ambulare posse in sensu diviso, id est, si solvantur vincula; non posse vero in sensu composito, id est, si vincula remaneant. Egregia vero solutio quis enim istud revocat in dubium? Porro non de sensu diviso questio hic est, sed de sensu composito. Si vero sensus compositus dicitur cadere in ipsam hominis actionem, ut sensus sit, voluntas divina gratia excitata, & adjuva non potest, quin agat, non potest simul componere actionem cum non actione, consentans cum dissensu (quem reverè sensum videtur adversarii innuere) non minus alius videtur absurda responsio: namque ipsa hominis, a Deo moti, & excitati, actio inseparabilis est ab actione Dei moventi, & excitanti. Ergo in quacumque parte se vertant, in mox dictam absurditatem auctores responsionis recidere videntur, &c. 3. Potentia illa, quam voluntas a Deo movet, & excitata retinet ad dissensum, nec proxima nec expectata est, sed remota dumtaxat, & ligata, que a voluntate vim sui determinativam, seu activam tollit indifferentiam. Prob. Quis voluntas vi motionis Dei antecedentis, & prævia, prioritate saltem nature, jam determinata supponitur, aliis motio illa efficaci non esset; ergo indeterminata non remanet voluntas, nec consequenter suam conservat activam indifferentiam.

Deinde, cursim delibatis quibusdam responsionibus Thomistarum, ut quod ex physica motione voluntas habeat quod se determinet; quod voluntas sub ipsa motione indifferentiam activam retineat; quod Deo non desit modus, quo libertatem cum motione prævia conciliet, quia non tantum substantiam, sed etiam modum actus attingit; sic pergit urgendo Doctor Molinianus.

4. Esto, quod verissimum est, voluntas actus seu vitalis de ut agunt, agat, nec merè se passivè habeat, at saltem non agit libere, nec cum ea indifferentia, qua possit non agere siquidem invincibiliter, & insuperabiliter determinata. Attamen dicit Aug. antea laudatus, ut velinus suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Atque perculgata est in Scholis definitio activæ indifferentiæ, per quam scilicet positus omnibus

ad agendum praequisitis, voluntas agere potest, vel non agere. Indifferentia suspensiva ea ipsa est, quam exigit Synodus Trid. loc. cit. cum ait, voluntatem Deo moventi, & excitanti posse dissentire, si velit: quippe, si potest dissentire, potest actionem dissensu suspendere. Et verò eam Synodus indifferentiam exigit, quam novatores Lutherus, & Calvinus negabant: at nonquam illi negant indifferentiam positivam, per quam voluntas actioe, seu vitaliter agit sub gratia, sicut ostendimus in prima hujus Tractatus parte, cum de variis circa modum agendi gratiae erroribus dissereremus; sed negant dumtaxat indifferentiam suspensivam, per quam posset voluntas consentire vel dissentire gratiae moventi, quod nempe contenderent necessitate quadam ineluctabili voluntatem ad bonum per gratiam compelli, ac determinari. 6. Certum quidem est, ac de fide, stare hominis libertatem cum motione gratiae; sed exponi non potest, qua ratione concilietur ea libertas, seu modus agendi liberè cum motione gratiae antecedente, ac physice ad unum determinante; qui modus non satis explicatur, cum dicitur Deum attingere, non tantum substantiam, sed & modum actionis. Ità quidem est, at hoc ipsum est, quod contendunt intelligi, & explicari non posse, quomodo conservet libertatem actionis cum illa motione gratiae, physice ac ineluctabiliter praeveniente. His dictis subiungit Tournellius pro responsione ex parte nostra: *Verum consule, quae de hoc ipso argumento jam diximus in Tract. de Attributis. Q. de scientia media, ubi solvantur argumenta, quibus scientia mediae vindicet oppositam Thomistarum sententiam impugnant.*

Crederes, his auditis, Lector Tournellium abundè refutasse loco, ad quem nos remittit, omnia, quae hic nobis objicit: nihil prorsus, hæc quidem illic objicit, sed sicut hic insoluta relinquit, quinimò non tantum non solvit, sed ad majorem invidiam scholæ nostræ adjicit, modum, quem Thomistæ adhibent ad conciliandum libertatem cum efficacia gratiae, esse vagum, & indeterminatum, nihilque lucis afferre. Dic quæso, inquit, an tibi clarus elucescit modus conciliandi libertatem cum gratia, quando audisti Deum esse primum agens, primum liberum, qui suam cuique creaturæ agendi modum conservat, necessarii necessarium, liberis liberum: Præclara hæc quidem. An verò inde rem clarius intelligis, aut saltem minus obscure? Modus, quem proferunt Thomistæ, non servat proprium agendi modum libertatis create, in eo positum, ut seipsam determinet ad agendum: in opinione verò Thomistarum voluntas ad agendum applicatur, & determinatur motione gratiae & antecedenti, ineluctabili, & insuperabili. Hæc igitur duo alii Theologos secum pugnare videntur, & Deum hominis libertatem in illesam conservare, & simul aliquod præsum, & antecedens immittere in voluntatem, quod illam infallibiliter, invictè, insuperabiliter ad unum determinat.

Hic quantum ad præsens argumentum sistit Tournellius eo loci de scientia media, ad quem nos remittit, & illic sicut q. 9. de Grat. Thomistas tanquam victos, & qui nihil habent quod respondeat, dimittit, & hoc vocat Doctor officiosus solvere argumenta, quibus scientia mediae vindicet oppositam Thomistarum sententiam impugnant. Adeo verum est, quod initio Dissertationis de scientia media observavi, hunc Theologum esse a capite ad talos Molinistam; velle tamèn haberi neutri parti addictum, forte ut hac arte majorem suis dictis conciliet auctoritatem, & incutos in suas partes pertrahat. Quod multis contigisse, & in dies contingere, accipimus. Attamen omnia, quae hic objicit satis obscure Tournellius, sunt argumenta Tyroneum, & cavillationes jam dudum antiquæ; ità ut nihil mirum sit, hæc veterano Professori visa fuisse momento numero, & pondere gravissima. Sed cur mirum? Ità sapient palato Molinianis affectibus præoccupato. Ad omnia ergo singillatim, & succinctè respondeo.

Ad 1. Nego prorsus, Concilium asserere voluntatem posse dissentire gratiae moventi in sensu composito, quin potius contrarium ex toto contextu apertè sequitur: loquitur enim, ut dictum est, de gratia efficaci, qua efficaci, quia loquitur de gratia, de qua loquebantur heretici, & cui de facto cooperantur, & assentuntur: non potuit autem Concilium asserere, voluntatem posse dissentire gratiae efficaci qua talis in sensu composito, nisi assereret simul duo contradictoria, nimirum gratiam esse, & non esse efficacem. Nihil ergo aliud importat ista phrasid: *Deo cor hominis tangente, dissentire potest, si velit*; quæ tamèn non est in terminis Concilii, oeu ista que est Concilii in terminis: *Liberum hominis arbitrium a Deo moventi, & excitatum... potest dissentire, si velit*, quam quod sub illo tactu divino, & motione homo retinet potentiam dissentendi, ita ut si non dissentiat, non sit, quia non potest, sed quia non vult; non verò quod possit componere de facto dissensum cum illo tactu seu motione divina: sicut si dicerem, Deo Petrum prædestinante, Petrus potest damnari, non est sensus quod Petrus possit conjugere de facto suam damnationem cum Dei prædestinatione; sed quod sub Dei prædestinatione servet potentiam se damnandi.

Si quis reponat, esse de ratione dissensu, quod res, cui dissentitur, simul existat, nemo enim dissentit rei, quæ fuit aut erit, sed quæ est: R. id esse verum de dissensu actuali, non verò de potentia antecedente dissentendi, de qua loquitur Concilium. Idque eo verius est, quod non debeat intelligi de potentia dissentendi motioi originariæ sumptæ, seu ut loquitur S. Th. supra laudatus, secundum resistantiam ad agentem, quæ si homo posset cum Deo movente luctari, & eum sibi subijcere absurda foret, & impia hæc intelligentia; sed de potentia dissentendi motioi terminativæ sumptæ, seu, ut loquitur S. Th. secundum impedimentum effectus. Potentia autem sic dissentendi non importat coexistentiam motionis cum non actu seu cum actu opposito.

Ad 2. R. quod sensus compositus cadat, & in ipsam Dei motionem, & in ipsam hominis actionem, quia sunt simul tempore, non quidem componendo cum motione Dei, & actione hominis potentiam dissentendi, ut hic vel ignoranter vel fraudulenter componit arguens; iste enim sensus compositus est Calvinisticus; sed componendo cum motione Dei, & actione hominis ipsum dissensum actualem. Juxta autem hanc compositionem posse dissentire in sensu diviso, & non posse in sensu composito, non est posse dissentire sublata motione, & non posse ea stare; sed est posse dissentire sub ipsa motione, non tamèn posse componere, seu actu jungere dissensum cum illa. Et ista solutio non solum est egregia; sed etiam solida, quam nemo deberet revocare in dubium.

Ad 3. N. Ant. ad probationem: equidem vi motionis præviz voluntas determinatur, non ut nihil agat, aut passivè se habeat, sed ut ipsa se determinet in suo ordine ut secundum agens primo subordinatum, ita ut simul tempore, & determinetur, & se determinet; unde non satis accuratè dicitur, quod supponatur determinata, quasi foret aliquod instans, in quo esset determinata, & non se determinans. Et idèd N. Conseq. nempe quod inde non servet suam indifferentiam activam; quia indifferentia activa non consistit in indeterminatione, hæc enim est indifferentia passiva, & suspensivam, ut modò dicam; sed in tali determinatione, ut sub ea maneat potentia ad oppositum, alioquin voluntas, etiam dato quod se sola determinaret, se determinando amitteret indifferentiam activam, & liberatam.

Ad 4. N. Ant. ad 1. probationem dico, quod Tò invincibiliter, & insuperabiliter cadant, non solum supra determinationem præviz, sed etiam supra ejus modum, ita ut voluntas invincibiliter, & insuperabiliter se determinet liberè; & magis repugnetur divine motioni, inquit S. Th. (1. 2. q. 10. art. 4. ad 1.) supra cit. si voluntas de necessitate moveretur; quam si liberè moveretur. Ad verba Aug. respondimus dum de Scientia media, sensum esse, quod vocatio sit a solo Deo, & non a nobis, consensus verò sit a nobis; sed quod ita sit a nobis, ut non sit etiam a Deo, non dicit Aug. quin potius ubique contrarium affirmat: *Nos volumus, sed Deus in nobis operatur & velle*; Libr. de dono persever. cap. 13. Quantum ad alteram probationem petitam ex definitione, quam dicit arguens vulgata in Scholis indifferentiæ activæ. Est quidem vulgata definitio libertatis potentialis, intelligendo praequisita tempore, & non natura tantum: at definitio indifferentiæ activæ, quæ est ipsa libertas actualis, est, quod sit facultas, per quam positis omnibus natura praequisitis ad agendum voluntas sic agit, ut possit non agere, potentia scilicet antecedente, & in sensu diviso.

Ad 5. R. totum niti æquivocatione, seu terminorum abusu. Duplicem in libertate indifferentiam distinguunt Theologi. Prima, quam vocant potentialem, privativam, negativam, suspensivam, & passivam, est privatio seu negatio actus, & determinationis, seu suspensio animi, qua quis necdum se determinavit ad agendum: sic hominem otiosum, & inertem solemus dicere indifferentem. Altera, quam vocant positivam, & activam, est positio unius actus seu determinationis voluntatis cum potentia ad oppositum: sic, qui actu ambulat, dicitur adhuc indifferentens ad non ambulandum, quia sic ambulat, ut retinet simul potentiam promptam, & expeditam ad non ambulandum. Hæc indifferentia necessario requiritur ad libertatem, at non prima; alias, & ipse Deus, qui semper est in actu, non foret liber; & ipse homo, quoties ageret, amitteret suam libertatem, quia tunc amittere illam indifferentiam potentialem, & suspensivam ad plura, se determinando hæc, & nunc ad hunc actum. Imò non solum ista indifferentia potentialis, & suspensiva non requiritur ad libertatem, sed est ipsius malum, & imperfectio. Omnis enim potentia est propter actum, & in eo sita est ejus perfectio: quandiu ergo potentia libera manet otiosa, & suspensa ab actu, imperfecta est; & tunc demum debitam acquirit perfectionem, cum exit in actum servando potentiam ad oppositum.

His præmissis: in primis apertè falsum est, Concil. Trid. dum definit voluntatem Deo moventi posse dissentire si velit, exigere indifferentiam suspensivam; siquidem supponat volun-

tatem, jam motam, & excitatam, Deo moventi cooperari, & assentiri. Sed, inquit Tournellius, si potest dissentire, potest actum dissensu suspendere. Fortè est error Typographi, & voluit ponere actum consensus; non enim tantum potest actum dissensu suspendere, dum consentit, sed de facto suspendit. Intelligendum ergo de actu consensus verissimum est, quod possit illum suspendere; at, nisi, ut dixi, confundantur termini, non ea est indifferentia potentialis, & suspensiva, sed positiva & activa, qua sic actu consentit, ut possit non consentire. Eodem errore laborat, quod sequitur. Equidem ultrò concedimus, Tridentinum eam exigere indifferentiam, quam negabant Lutherus, & Calvinus; absolute negamus, hos Novatores non negasse indifferentiam activam, & positivam; sed potentialem tantum, & suspensivam; neque id vel minimum probavit Tourn. loco, ad quem nos revocat. At inquit hic: non negantur indifferentiam positivam, per quam voluntas actioe, & vitaliter agit sub gratia. Et hic iterum terminorum abusus aut æquivocatio: non enim indifferentia positiva ea est præviz, per quam voluntas actioe, & vitaliter agit: Equus sub sessore actioe, & vitaliter currit, non tamèn cum indifferentia positiva; sed per quam voluntas vitaliter agit servando potentiam ad oppositum: & hæc constantè negantur Novatores, cum, ut ipsemet fateatur Tournellius, contenderent necessitate quadam ineluctabili voluntatem per gratiam determinari. De Conc. Trid. iterum redibit sermo §. subseq.

Ad 6. Non mirum, Molinistas, qui volunt in homine libertatem emancipatam, & independentem a Deo, non posse eam conciliare cum divino decreto, & gratia per se efficaci. At, ut jam dixi, præpostera est hæc libertatis notio, quam nec Scriptura, nec SS. Patres, præsertim Aug. & Thom. unquam agnovērunt, & per quam divinitatis jura subruunt. Ea enim posita, Deus non remanet prima, & universalissima causa, non primum agens, primum liberum, primum motor: periclitatur, ut ait Aug. primus articulus fidei nostræ, qua credimus in Deum omnipotentem, creatorem visibilium, & invisibilium, & plura alia sequuntur absurda, de quibus jam non semel diximus. Agnoscenda est ergo libertas in homine, sed creatæ, & hoc ipso quo creatæ, sic dependens, & subjecta voluntati sui Creatoris, ut ab hac dependentia ne ipse Deus eam eximere poterit. Hoc ipso enim, quo est creator, & supremus Dominus omnium, omnia creata necessario ab illo dependent in esse, & operari. Homo igitur est agens liberum, sed in suo ordine, nempe secundum primum subordinatum, se movet, se determinat, sed ut causa secunda sub motione, & determinatione primæ cause: habet dominium sui actus, sed non supremum, nec independentes ab altiori dominio, quod Deus creator habet in illam, quasi supremus Princeps in feudum. Hoc autem principio posito tanquam certissimo, & inconcusso, suppono aliud non minus certum a SS. Aug. & Thom. sæpius assertum, Deum velle hominem, quem creavit liberum, dum agit, agere liberè; (1. 2. quest. 10. art. 4. o.) quia ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Et, cum divina voluntas sit omnipotentissima, & efficacissima, sicut & motio gratiæ ab ea descendens, sequitur necessario non solum quod homo agat, sed etiam quod agat liberè; alioquin resisteretur voluntati omnipotentissimæ, & efficacissimæ; quod implet. Vide Textus D. Thom. art. præc. §. de mente D. Thom. & alibi passim.

Hæc sunt sanè præclara, quia fundata in principiis fidei nostræ, & SS. Patribus, magno præsertim Aug. & S. Thom. Hæc præclara; quia per ea Creatoris, & creaturæ jura servantur illesa, nec aliter servari possunt. Hæc inquam præclara; quia inde evanescit contradictio, quam fingunt Adversarii in hoc, quod voluntas sit libera, & ab alio determinetur; quod moveretur, & se moveat; ob quam factam contradictionem contendunt, Deum quamvis omnipotentem hæc duo non posse magis simul jungere, quam efficere parietem albi cum nigredine, aut sine albedine. Enim verò, quæ vel contradictionis umbra, quod secundum agens moveatur a primo; quod secundum liberum se determinet sub determinatione primi, salva suæ naturæ conditione? Fortè, qui fecit voluntatem liberam, non poterit in ea operari, aut eam movere absquè destructione sui operis, aut non potuit facere voluntatem liberam, nisi faceret a se independentem, quod est vere contradictio, ut patet ex dictis? Itane rerum ordo credi, putariæ permittitur, inquit S. Fulgentius l. de Inc. & grat. c. 29. ut Deus, qui creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare; & qui nullus eget adiutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, præsquam in homine ipsum velle repererit? Hæc itaque ameniam, & a fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus. Sed & eam ipsam, quam imaginantur Molinistæ implicam, ipse S. Thom. infra q. 105. art. 4. sibi 2. loc. obj. his verbis: *Deus non potest facere, quod contradictoria sint simul vera: hoc autem sequeretur, si volun-*

tatem moveret: nam voluntatem moveri, est ex se moveri, & non alio: ergo Deus non potest movere voluntatem. In ipsum argumentum Adversariorum, en contradictionem illam, quæ est ipsis quasi terribulum, & ob quam non capiunt quomodo voluntas se liberè moveat, si moveatur a Deo. Audiant ergo S. S. Thom. Ad 2. inquit S. D. dicendum, quod, moveri voluntario (& liberè) est moveri ex se, id est, a principio intrinseco. Sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco; & sic moveri ex se non repugnat ei, quod moveatur ab alio. Nulla est ergo contradictio juxta S. Thom. quod voluntas a Deo moveatur, & se moveat liberè, nulla proinde ratio, cur id negent a Deo fieri posse: & hinc, & si alia quæ sunt innumera descent, videant adversarii, quanto intervallo distent a doctrina S. Thom.

Repones: Estò ex his, & præsertim ex illo celebri S. Thom. principio, scilicet Dei prædefinitionem, & præmotionem non esse solum ad substantiam actus, sed etiam ad modum, evincatur stare libertatem cum ista prædefinitione, & præmotione per se efficaci; non tamèn satis explicatur modus, quo hæc concordia a nobis intelligi possit. R. Mysterium esse: Mysteria autem, licet ea esse certo constare possit, tamèn quomodo sint, non facile explicatur. Sed, in quantum hujus rei altitudo permittit, potest iste modus explicari junctis duobus aliis principiis D. Thom. 1. est, Deum movere causas secundas sive necessarias, sive liberas secundum illarum dispositionem, & exigentiam. Alterum est, Deum præparare, & aptare causas ad suos effectus, non solum quatenus dedit eis virtutem agendi necessario vel liberè, sed etiam disponendo omnia requisita ad effectum. Ex eo igitur, quod Deus accommodet motionem suam exigentiæ, & modo causarum secundarum, impossibile est, quod earum modum agendi impediatur, sed sub Deo movente agunt suo modo necessario, vel liberè, perinde ac si ex se ipsis solis agerent. Ex eo vero, quod Deus causas secundas aptet, & præparet, sic eas suis consiliis accommodat, ut id ipsum agere postulent, quod ipse vult eas agere. Unde, dum eas movere secundum hanc dispositionem, & exigentiam infallibiliter, & suaviter, ac spontè sua faciunt id, quod Deus ab æterno decrevit ab eis fieri: sic v. gr. in homine, a quo vult liberè elici hunc, vel illum actum, non solum res exterius disponit, puta, removendo vel proponendo objecta, adhibendo aliorum ministerio correptiones, exhortationes, prædicationes, exempla, &c. Sed etiam intus agit, vel moraliter illustrando intellectum, vel physice movendo voluntatem per instinctus secretos, & indeliberatos; ita ut hæc voluntas sic disposita, & præparata prorsus exigat præmoveri ad hunc actum, qua præmotione accedente ultimo applicatur ad illum certissime, & liberrime eliciendum; & hoc est, quod toties repetit S. Aug. Deum præparare voluntates, & præparatas adjuvare. Hic solum est observandum, quod, si in hac præparatione irrepit defectus, ex quo actio imperfecta sequatur, is non est effectivè a Deo, sed permissivè tantum; est autem a creatura ut a primo principio deficiente, ut explicabimus infra. Quia tamèn non accidit, nisi in quantum Deus permittit, non obstat infallibilitati ejus Providentiæ.

Insuper voluntas creata ratione domini, quod habet super suos actus, se determinat absquè læsione sua libertatis: quidni Deus, qui supremum dominium in voluntatem creatam, & ejus actus sibi necessario reservavit; quique, ut dicit Aug. magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, potest illas determinare, salva earum libertate? Alioquin, quomodo magis haberet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas? At, inquis, voluntas se determinat sub indifferentia judicii, & ideo liberè. Ità est, sed etiam Deus illam determinat sub indifferentia judicii. Non enim Deus movet, sicut sessor movet equum, aut sicut movemus baculum seu oscilla, quæ est insulsa quorundam imaginatio; sed, ut modò dicebam, sicut agentia libera, facta propositione objecti indifferentis, prævis motionibus moralibus, quibus servatur indifferentia judicii, qua stante, & servato connaturali modo agendi inter intellectum, & voluntatem, impossibile est voluntatem necessitari, ut alibi dicemus. Imò neque solum indifferentiam judicii, & inde amplitudinem voluntatis, quæ uno actu non impletur, sed est capax ad infinita (& hæc sunt duæ radices libertatis) servat Deus; sed hoc ipso quo vult voluntatem liberè agere, servat, & confert quæcumque alia, si quæ sint, quæ requiruntur ad libertatem, seu ad hoc ut voluntas se determinando servet potentiam ad oppositum, ita ut sit etiam paratus ad oppositum concurrere, si exigeret præsens voluntatis dispositio.

Urgebis: his non obstantibus, saltem negari non potest, quin clarior, & facilius intelligatur concordia libertatis create cum Molinistarum decreto indifferente, & gratia versatili, quæ non determinat voluntatem, sed a voluntate determinatur, quam cum decreto prædeterminante Thomistarum, & gratia per se efficaci inferente infallibiliter actum. R. 1. N. Suppositum assum-

assumpti. Non enim est creata, aut creabilis libertas, quæ ita sit a suo creatore independentis, tum ipsa eum determinet, & ab ipso non determinetur; quia hoc involvit contradictionem. Esset enim creata, & non esset, quia non subiceretur Deo in operari, quod tamen est essentiale creature. Esset secunda causa, secundum agens, secundum liberum, ut supponitur; & non esset, quia se moveret, se determinaret, a nullo alio mota, & determinata. Item Deus eadem ratione foret, & non foret prima causa. Foret causa universalissima, ut supponitur; & non foret, quia esset aliquid in rerum natura existens, quod subterfugeret ejus causalitatem, nempe nostra determinatio ut libera, & ut a voluntate procedens, quod bene distinguitur. Quæ reponunt adversarii, ut hæc, & alia inconvenientia salvent, vide refutata, art. præc. §. 4. post 1. prob. a ratione. R. 2. D. Ant. Clarus, & factus intelligitur concordia libertatis humanæ cum gratia Molinistarum, eversis iudibus divinitatis, Transeat Ant. salvis iudibus divinitatis, N. Ant. patet ex dictis. Hæc autem duo, scilicet libertatis creatæ, & divinitatis, iura in eorum conciliatione debent necessariò salvari; nec aliter salvari posse arbitramur, quam juxta data principia SS. Aug. & Thom.

Quod si forte adhuc remaneat quedam obscuritas, quia ut dixi, mysterium est, & ut ait Aug. libr. de gr. Christi c. 47. *Is- ta questio, ubi de libero arbitrio voluntatis, & de gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem assertur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Numquid idem negandum est, quod apertum est, inquit idem Aug. de dono persev. c. 14. quia comprehendere non potest, quod occultum est? Apertum, & certum est nobis, hominem esse liberum, & Deum illum reliquisse in manu consilii sui, ut eligeret quod vellet, bonum vel malum. Pariter apertum, & certum nobis est, hominem absolute pendere a Deo in suo esse, & operari; esse in manu Dei sicut lutum in manu figuli; Deum de voluntatibus quod vult, cum vult, facere, habere cordium inclinandum omnipotenssimam potestatem; operari in nobis velle, & perficere, & omnia opera nostra. At forte minus notum est, quomodo sit ista libertas hominis cum hac summa a Deo dependentia. Numquid idem negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est? Sic apertum, & certum est Deum esse immutabilem, pariter apertum, & certum est Deum esse liberum; at ignotum, quomodo hæc duo, immutabilitas, & libertas simul cohercant. Numquid idem negandum, quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est? Imò in naturalibus apertum, & certum est, Oceanum pati fluxum, & refluxum, magnetem attrahere ferrum, astra in corpora nostra influere; at occultum quomodo hæc fiant. Numquid idem negandum, &c. Absurdum hoc philosophandi genus, ab incertis ad certa, ab obscura ad clara; & non potius a certis ad incerta, a claris ad obscura, velle pervenire. Hæc ergo S. Aug. regula constantè est tenenda, & eo tenacius, quod fide divina nobis constat Deum longè plus posse facere, quam possit humana ratio concipere, & quod ex hujus regulæ inobservantia plurimæ nata sint hæreses. Præcipua enim fidei nostræ mysteria constantè extremis apparenter adversis, ut Deum esse unum & trinum, Christum esse Deum, & hominem; quorum concordiam capere cum non possent hæretici, alterutrum negarunt. Sic Arius, ut Trinitatem personarum astrueret, unitatem nature negavit; e contra Sabellius, ut unitatem nature vindicaret, distinctionem personarum abstulit. Similiter Nestorius, ut humanitatem in Christo defenderet, negavit divinitatem. E contra Eutycheus, nescio qua utriusque confusione inventa, utramque sustulit.*

Ex dictis colliges, quosdam perperam, & infundatè dixisse, esse asylum ignorantie lateri concordiam libertatis humanæ cum gratia esse difficilem, nisi velint ipsum Aug. in suis cum Pelagianis, & semi-Pelag. concertationibus ad asylum ignorantie confugisse. Veritas dixeris eos, qui hanc concordiam facilem existimant, & eam quasi sensibilem exhibent, volunt a semitis Aug. longius recedere.

Obj. 2. ex eod. c. Suppositio antecedens nostram determinationem, eamque infallibiliter causans, infert necessitatem, & tollit libertatem; atqui tam decretum prædeterminans, quam gratia per se efficax antecedit determinationem nostram, & eam infallibiliter infert: ergo. R. ex principiis positis, D. Maj. suppositio antecedens determinationem nostram, & eam infallibiliter causans quoad substantiam tantum infert necessitatem & tollit libertatem. C. Maj. infallibiliter causans, & substantiam actus, & ejus modum, scilicet libertatem, N. Maj. Est enim intelligibile, quod causa qua talis destruat suum effectum: undè distinct. Min. ad sensum Maj. N. Conseq. solutio patet ex dictis in præc. solutione. Hanc resp. confirmat, quod hæc propositio cujusdam Petri de Rivo Doctoris Lovaniensis: *Quod ex impediibili per necessitatem consequentiam sequitur, hoc impediibile est, & necessarium, fuerit damnata Romæ a Sixto IV.*

ann. 1476. Ità referunt Doctores Lovanienses in justificatione suæ censuræ c. 4. n. 81. & Sylvius tum in opusculo de primo motore, tum in hac parte quæst. 19. art. 8.

Inst. Necessitas antecedens, juxta S. Anselmum l. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. tollit libertatem; atqui decretum prædeterminans, & oratio a se efficax infert necessitatem antecedentem: ergo. Prob. Min. Juxta Anselmum l. c. est duplex necessitas, præcedens, & consequens: Est, inquit, præcedens necessitas, quæ causa est ut res sit; & consequens sequens quæ res facit: præcedens, & efficiens necessitas est, cum dicitur *calum volui, quia necesse est ut voluatur; sequens verò quæ nihil efficit, sed sic est cum dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut dum loqueris, non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit calum volui; te verò nulla necessitas facit loqui. En ipsum argumentum, seu gratia per se efficax est causa actus, & affert secum aliquam necessitatem; impossibile enim est, esse decretum, & reipsa non sequi effectum: ergo decretum per se efficax infert necessitatem antecedentem.*

R. Hoc argumentum, in quo vim faciunt adversarii, a S. Thom. sibi propositi hic quæst. 19. art. 8. sub his terminis: *Illud, quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute; sed res creatæ comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius, a quo habent necessitatem, cum hæc conditionalis sit veritas: si Deus aliquid vult, illud est: ergo omne, quod Deus vult, est necessarium absolute.* En ipsum argumentum, quod magnificat adversarii, cui sic respondet S. Thom. *Ad 3. dicendum, quod posteriora habent necessitatem ex prioribus secundum modum priorum. Unde & ea, quæ fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem vult Deus ea habere, scilicet vel absolute vel conditionaliter tantum, & sic non omnia sunt necessaria absolute.* Quia scilicet, ut explicaverat in corpore art. Deus non vult omnia necessariò fieri, sed quedam contingenter, & liberè. Ex hac perpetua, & constanti doctrina S. Doctoris, N. Min. argumenti, ad prob. D. Min. decretum per se efficax est causa actus quoad substantiam, & modum, scilicet ipsam libertatem, C. Min. est causa actus quoad substantiam tantum, N. Min., & Conseq. Quamvis enim certissimum sit, & infallibile quod erit, si Deus decrevit, non tamen necessariò erit quia Deus decrevit, quin e contra liberè erit, quia Deus decrevit ut liberè sit; & ex hoc quod certissime erit liberè, sequitur quod necessariò erit; quia non potest esse, & non esse: sed, ut vides, ista necessitas est ex suppositione quod erit, & sic non est antecedens, sed consequens igitur certitudo, & infallibilitas petitur ex decreto, at non necessitas; hæc enim solam petitur ex suppositione quod erit, quæ est necessitas consequens, ut vocat Anselmus, seu ut alii dicunt, necessitas consequentia, conditionalis, aut hypothetica. Hanc esse mentem Anselmi, constat 1. Quia non dixit, quod suppositio antecedens tollat libertatem, sed necessitas antecedens; definit autem necessitatem antecedentem, quæ est causa cur res fiat, id est, quæ se tenet ex parte causæ, & ipsam necessitatè ad ponendum effectum; necessitatem consequentem definit, quam res fecit, id est, quæ petitur ex ipsa suppositione objecti. Porò nulla necessitas cogit Deum ad decernendum meum actum, neque ejus decretum aut gratia ponit aliquid in mea voluntate, quo cogat ita illum ponere, ut non possim non ponere, quin potius facit ut ita ponam, quod possim non ponere; undè evidens est, nullam hic esse necessitatem antecedentem, sed tantum consequentem. 2. Et maxime, quia sic seipsum explicat D. Anselmus l. de concordia præc. & lib. arbit. ubi dicit: *Quoniam, quod Deus vult, non potest non esse, si vult hominis voluntatem nulla vel prohiberi necessitate ad volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tum necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Ubi vides, S. Anselmum probare ex efficacia divine voluntatis, sicut nos, & effectum a Deo intentum per voluntatem nostram esse certissime futurum, & tamen voluntatem nostram manere liberam, quia utrumque vult.

Per necessitatem itaque antecedentem eam solam intelligit S. Anselmus, quæ est a causa vel cogente vel determinante necessario ad unum sine potentia ad oppositum, ut in naturalibus. Præter dicta pariter tum ab exemplis, quibus lib. cit. *Cur Deus homo* explicat necessitatem antecedentem, quæ sunt ortus solis, & motus cœli, quæ constant esse agentia naturalia determinata ad unum sine potentia ad oppositum. Tum ex lib. conc. c. 10. ubi dicit: *Quamvis necesse sit fieri, quæ præcipientur, & prædestinantur, quadam præcipientia, & prædestinata non eventum ea necessitate, quæ præcedit rem, & facit, sed ea quæ sequitur: non enim ea Deus, quamvis prædestinet, facit, voluntatem cogendo aut voluntati resistendo (attende ad hæc verba) sed in sua illam potestate dimittendo: quamvis tamen voluntas utatur potestate, nihil facit, quod Deus non faciat.* Quibus

bus verbis aperte significat, se per necessitatem antecedentem, quæ rem præcedit & facit, non intelligere quamcumque præcedentem & causalitatem, sed eam dumtaxat, quæ vel cogat, vel determinet necessario ad unum sine potentia ad oppositum.

Repones: Dato, decretum per se efficax non infert necessitatem antecedentem, saltem infert infallibilitatem; atqui id sufficit, ut actus noster non sit liber: ergo. Prob. Min. Ut actus noster sit liber, oportet, quod illud, a quo dependet & quocumque infallibiliter connectitur, sit in nostra potestate; atqui nec decretum prædeterminans, nec gratia a se efficax sunt in nostra potestate: ergo. Resp. communiter Thomistæ distinguendo dupliciter secundum Min. 1. Decretum originativè sumpsum, & quoad internam dispositionem non est in nostra potestate, C. Min. Terminativè sumpsum, & quantum ad ejus executionem, N. Min. Quamvis ergo decretum, ut est actus vitalis Dei, non sit in nostra potestate, est enim ipse Deus; terminus tamen illius, nempe actus noster, proindeque hujus decreti executio est in nostra potestate; quia Deus ita illum decernit, ut velit liberè fieri a nobis, & cum potentia non faciendi; quod sufficit ut actus sit liber. Ita ex Capreolo in 1. d. 45. quæst. unica art. 2. 2. D. eadem Min. Decretum non est in nostra potestate ut effectus, qui nobis subdit, C. Min. ut causa, quæ nobis adsit, N. Min. Ita Joann. a S. Thom. 1. p. q. 14. Disp. 20. art. 5. Duobus ergo modis potest dici aliquid esse in nostra potestate; vel quia nobis subest, & sic divinum decretum non est in nostra potestate; vel quia nobis adest ut causa adjuvans, qua utamur, si volumus; & hoc modo divinum decretum est in nostra potestate, quia Deus ut causa universalissima, & provisor generalis nulli deest secundum ejus exigentiam. Non enim existimandum est, Deum, dum decernit aliquid actum; subtrahere ea, quæ sunt necessaria ad oppositum; perversa est hæc imaginatio, & aliena a ratione causæ universalis, & provisoris generalis; simul decernit præbere omnia, quæ sunt necessaria, ut liberè fiat, & cum potentia ad oppositum, ita ut sit paratus etiam ad oppositum concurrere, si ita exigeret præsens voluntatis dispositio, ut jam diximus. Sic, inquam, se gerit Deus ut provisor generalis; sed ut provisor particularis aptat, & disponit causas secundas, ut hunc potius influxum exigant, quam alium, quod ex speciali benevolentia præstat erga eos, quos movet ad bonum per gratiam; sique disponens omnia suaviter, attingit fortiter usque ad finem, & certissime obtinet, quod a nobis efficiendum decernit absque læsione libertatis.

Obj. 3. ex eod. cap. plura simul levioris momenti, quæ jam habent suam solutionem ex dictis, 1. Posito decreto prædeterminante, seu gratia per se efficaci ad amorem v. gr. non sit possibilis negatio amoris: ergo. Prob. Ant. Possibilis positio in actu, non sequitur impossibile; atqui, si poneretur negatio amoris, sequeretur impossibile; nempe frustrari decretum & gratiam, quod est impossibile secundum Thomistas, aut simul stare amorem & non amorem. 2. Fictitia & frustranea est potentia, quæ nunquam reducitur ad actum; atqui illa potentia, quæ sub decreto, & gratia efficaci dicitur remanere ad oppositum, nunquam reducitur ad actum: ergo. 3. Posita motione per se efficaci ad unum, non manet potentia saltem expedita ad oppositum: quia motio ad unum est impedimentum, non ponatur oppositum, quod impedimentum non potest tollere voluntas. 4. Voluntas sub motione ad unum non est complete potens ad oppositum, quia caret aliqua actualitate requisita ad operandum oppositum, nempe motione ad oppositum. Verùm hæc ferè omnia, & alia similia retorqueri possunt in adversarios juxta systema gratiæ congruæ, ut patebit. Undè

Ad 1. R. 1. retorquendo arg. Si, posita gratia congrua ad amorem, poneretur negatio amoris, sequeretur aliquid impossibile, scilicet gratiam esse & non esse congruam, & falli divinam præcipientiam: ergo, posita gratia congrua ad amorem, negatio amoris non est possibilis. R. 2. N. Ant. Ad prob. D. Ant. Possibilis positio in actu, non sequitur impossibile; per se loquendo, & nulla facta suppositione, C. per accidens, & facta aliqua suppositione, N. Sic ei, qui liberè amat, possibilis est negatio amoris; & tamen, si, facta hypothese quod amet, poneretur negatio amoris, sequeretur aliquid impossibile, scilicet amor, & non amor in eadem voluntate. Sic prædestinato est possibilis sua damnatio; si tamen, facta suppositione prædestinationis, damnatio, quæ secundum se est possibilis, poneretur in actu, sequeretur aliquid impossibile, nempe frustrari divinam prædestinationem. Ita in nostro casu, motio efficaciter ad amorem possibilis est absolute negatio amoris; at, facta suppositione motionis efficaci ad amorem, si poneretur negatio amoris, sequeretur aliquid impossibile. Vel aliter, D. idem Ant. Possibilis positio in actu eo modo, quo est possibile, non sequitur impossibile, C. alio modo, quo est impossibile, N. Jam autem negatio amoris sub motione efficaci ad amorem est possibilis dumtaxat potentia antecedente, & in sensu diviso, quo

modo si poneretur in actu, non sequeretur impossibile; non est verò possibilis potentia consequente, & in sensu composito, in quo tantum casu, si poneretur, sequeretur impossibile.

Ad 2. similiter retorqueo arg. Posita gratia congrua ad unum, potentia ad oppositum nunquam reducitur ad actum: ergo est fictitia, & frustranea potentia. R. 2. Directè ut ante, fictitia, & frustranea est potentia, quæ nunquam reducitur ad actum absolute, & nulla facta suppositione, C. facta suppositione, N. Sic, qui liberè sedet, habet veram, & non fictitiam non sedendi potentiam, quæ tamen nunquam reducitur ad actum, supposita sessione. Sic Deus post decretum de uno mundo creando habet veram, & non fictitiam potentiam alios mundos creando, quæ tamen potentia, supposito priori decreto, nunquam reducitur ad actum; similiter in nostro casu: Posito divino decreto ad unum, voluntas habet veram potentiam ad oppositum, non tamen reducibilem ad actum supposito decreto. Ut ergo potentia, quæ est ad utrumlibet, non sit fictitia & frustranea, sufficit, quod unum ponat ex duobus oppositis, & servet potentiam absolutam, & antecedentem ad aliud.

Ad 3. iterum retorqueo arg. Gratia congrua ad unum est impedimentum ad oppositum, quod impedimentum non potest tollere voluntas: ergo, posita gratia congrua ad unum, non manet potentia expedita ad oppositum. R. 2. directè, N. Ant. & ejus probationem. Quia, sicut actus amoris v. gr. non dicitur impedimentum potentia ad oppositum, quia liberè procedit a voluntate; ita motio ad illum, quæ datur, ut liberè procedat, & potest tolli a voluntate, non quidem directè agendo in illam originativè sumpsum, sed indirectè impediendo ejus effectum, & ponendo oppositum, ut diximus supra.

Ad 4. N. Ant. Ad ejus probationem dico, quod motio efficaciter sit prærequisita ad actum natura tantum & causalitate, proindeque non se tenet ex parte potentia, seu actus primi, sed secundi. Si reponas, motionem efficacem dici complementum potentia: R. dici complementum potentia, non quasi dans posse, sed dans agere, quatenus potentiam præsuppositam applicat ad agendum. Qui plura cupit argumenta ex hoc capite, requirit in Philosophia de præmotione physica.

Ex dictis colliges, vanas esse declamationes Lesii, Molinae, Vasquezii, & aliorum Molinistarum contra decreta prædeterminantia, quasi eis sit fatum induceretur, spes everteret, temporis occasio præberetur, exhortationum necessitas evacuaretur, & similia; quæ initio §. retulimus: hoc ipso enim quod stat libertas cum illis decretis, omnia hæc inconvenientia evanescent.

§. III. Solvuntur objectiones ex insufficientia auxilii.

Obj. cum Tournello q. de scientia media art. 5. q. 7. de Grat. art. 4. & quæst. 9. art. 1. ibid. Ex necessitate decreti, seu gratiæ per se efficaci ad singulos pietatis actus istud consequens videtur, gratiam scilicet sufficientem tali gratia destitutam verè insufficientem esse ad actum, quæ nunquam exprimit: quo posito; multa resultant inconvenientia. 1. Quomodo gratia illa sit verè sufficiens? 2. Quomodo homini non habenti talem gratiam per se efficacem possibilia sunt Dei mandata? 3. Quomodo reus ille sit violati præcepti, qui caruit præmotione ad illa observanda necessaria? 4. Quomodo justè reprehendi possit ille & damnari? Assumptum non probat Tournellus, sed supponit. Prob. autem: Illud est insufficientis, ultra quod ad operandum requiritur aliud, quod non est in potestate nostra, sed ab alio pendet; atqui ultra auxilium, quod dicitur sufficiens, requiritur in sententia Thomistarum aliud auxilium, per se efficax, quod non est in potestate nostra, sed pendet a Deo: ergo. Confirmatur: Ponamus, quod Deus præcipiat alicui aliquid actum, puta amoris, & ipsi conferat omnia requisita ad illum actum præter istam efficaciam decreti seu motionis, præcipitur illi aliquid impossibile: ergo. Prob. Ant. iste actus amoris absque illa efficacia est aliquid impossibile in sensu composito, hoc est, impossibile est hunc actum poni de facto & in re; atqui tamen præcipitur ut ponatur de facto & in re: ergo præcipitur aliquid impossibile; sicut si præciperetur ambulare ei, qui non habet concursum generalem ad ambulandum.

Antequam respondeam directè argumento, præmitto 1. ut jam olim de scientia media, hoc argumentum sibi objecisse Apostolum ad Rom. 9. ubi cum statuisset hoc dogma: *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, id est, indurari permittit, statim sibi objicit ex parte impiorum: *Dicit itaque mihi: quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?* Quasi diceret ex parte objicientis: cur arguor violati mandati & impunitus, cum detulerit mihi bona Dei voluntas, cui non resistitur, & gratia ejus efficacis, sine qua nemo convertitur & servat mandata? Porò, si Apostolus censuisset cum Molinistis gratiam versatilem omnibus indifferenter dari, quam quisque pro suo nutu efficacem vel inefficacem redderet, ita illi respondisset objicienti: justè argueris violati mandati, quia

habeas gratiam, quam pro innata tua libertate poterat tuo consensu reddere efficacem, & tuo dissensu reddidisti inefficacem. Et ita respondere necessario incumbebat Apostolo, ut scandalum obicientis tolleret, alioquin habendus veritatis per injusitiam deicente reus. Verum ne vel per umbram hanc doctrinam insinuat Apostolus, quin potius omnino contrariam sua responsione profiteatur, cum istud argumentum non aliter solvat, quam redarguendo ut arrogans: *O homo inquit, tu qui es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quia in se fecisti sic? An non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vis in honorem, aliud vero in contumeliam?* Sic Augustinus Apostolum secutus idem argumentum solvit toto libr. de corr. & grat. sic nos utriusque Doctoris gratia vestigia prementes solvimus, & humiliter profiterentur Deum iis, quibus gratiam per se efficacem conferit, ex misericordia conferre: iis quibus denegat, ex justitia denegare, ejusque iudicia esse inscrutabilia.

Tramitto 2. Iterum ut de scientia media, hoc argumentum pariter impetere systema gratia congrua, quod nunc communis sustinent Patres Societ. Gratia namque congrua sic necessaria est ad impletionem precepti, ut cum ea semper impletur, & sine ea nunquam impletur, nec est in potestate hominis illum habere, cum juxta suos defensores Deus ex speciali benevolentia eam iis, quibus vult, conferat: ergo, quacumque alia gratia ponatur sufficiens, ea destituta est insufficientis: quo posito: Quero cum Tournello: 1. quemodo gratia illa sit vere sufficiens? 2. Quomodo homini non habenti talem gratiam congruam possibilia sint Dei mandata? 3. Quomodo reus ille sit violati precepti, qui caruit gratia congrua ad illa observanda necessaria? 4. Quomodo justè reprehendi ille possit & damnari?

Neque juvat, quod gratia congrua non addat sufficienti majorem virtutem, ita quod gratia sufficiens incongrua habeat totum, quod requiritur ex parte virtutis ad ponendum actum. Esto: saltem addit majus beneficium, sine quo unquam ponetur actus, & quocum semper ponetur; unde redit eadem difficultas solvenda, non solum in hac, sed in omnium eorum sententia, qui inter auxilium sufficiens & efficacem agnoscunt aliquid discrimen ex parte actus primi; que sanè sententia quomodo tuto possit negari, non satis video. His praemissis,

R. directè ad argumentum, negando assumptum Tournelli, & omnia ei annexa; ad prob. in primis D. Maj. istud auxilium, ultra quod requiritur aliud, non est sufficiens absolute & in omni ordine, transeat: non est sufficiens in suo ordine, N. conferri enim potentiam completam & expeditam ad agendum, ita ut nihil desit ex parte potentie seu actus primi, undè est sufficiens in suo ordine, seu in ratione potentie, quod aliquid aliud requiritur ad actu agendum, non est hujus loci discutere, sed pertinere ad Tract. de gratia. Ceterum breviter dico, rectè dici sufficiens, sicut ignis dicitur communiter sufficiens ad comburendum, licet ulterius debeat applicari ut comburat; sicut panis vulgò dicitur sufficiens ad nutriendum, licet non nutriat nisi manducetur & trajiciatur in stomachum; sicut passio Christi dicitur sufficiens ad salutem, licet ut salvetur actu debeat ultra applicari, & similiter de pluribus aliis.

Verum, quia non est hic questio de solo nomine, sed potissimum, utrum posita ista sufficientia ex parte potentie reipsa ita possibile sit mandatum non habenti auxilium efficacem, ut jure possit reprehendi, & damnari, si non servet? R. omnino affirmative, non solum ea ratione, quam modo dixi, quia per auxilium habet potentiam completam & expeditam ad observandum, potènti autem facere & non facienti peccatum est illi; neque ad hoc, ut alicui imputetur transgressio, semper requiritur gratia actionis, alias nulla unquam foret transgressio. Verum hic, inquam, non sisto, sed ulterius dico habenti auxilium sufficiens & non efficacem, esse verè possibile mandatum, & jure reprehendi, si non servet, quia, quod caret efficaci, culpa ipsius est. Undè potest distingui Min. probationis ut in precedentibus: auxilium per se efficacem non est in nostra potestate, ut effectus qui nobis subsit, C. Min. ut causa, quæ nobis adsit. N. Min. Deus enim quantum est ex se paratus est illud omnibus dare, neque ulli denegat nisi propter culpam; & hoc uno verbo solvitur argumentum, & ejus confirmatio.

At verò jam, qua culpa: an præsens, an præterita, an originalis, an actualis?

S. Thom. post Aug. quandoquè refert denegationem gratia ad culpam precedentem, vel actualem, vel saltem originalem. Ita 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. Dicendum, inquit, quod, si in potestate hominis esse dicitur aliquid exclusio auxilii gratia, sic ad multa tenetur homo, ad que non potest sine gratia reparare: sicut ad diligentiam Deum & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio gratia. Quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non

datur, in panam precedentis peccati, aut saltem originalis peccati, ut Aug. dicit in l. de corr. & grat. Et id quod peccatum actuale præcedens potest verificari de fidelibus peccatoribus, quoad originale de infidelibus. Imò non desunt Theologi primæ notæ, qui existimant gratiam denegari etiam fidelibus propter peccatum originale; quia, inquit, licet per baptismum sit ipsis remissum quoad culpam, & hoc sensu nihil damnationis in eis remaneat; non est tamen remissum ut est corruptio naturæ, qua veluti pondere ad sensibilia & illicita pertrahitur; & cum Deus secundum suæ providentiæ leges causas secundas moveat secundum earum dispositiones & formam prædominantem; non mirum, si quandoquè sinat hominem hoc naturæ corruptæ & somitis pondere inclinatum cadere, & subtrahat gratiam, quæ ipsius casum sustineret, cum alioquin, ut dictum est, non denegeret auxilium sufficiens, quo ejus potentia in ratione potentie compleatur. Secundum verò hanc explicationem abstractio gratia ratione peccati originalis, in quibus per baptismum deletum est, est potius, ut patet, negatio quam privatio & poena. Ceterum, quia hoc solutio suas aliquid patitur difficultates, & statim possit fieri instantia in primo peccato Angelorum & Adam, cui solvenda non sufficit, cum neque in Angelis neque in Adam ante primum peccatum ullum aliud sive originale sive actuale præcesserit: ideo

Altera responsio, qua est frequentior in S. Thom. & quæ est adæquata solutio argumenti in omni casu, est, quod habenti auxilium sufficiens denegatur efficacem propter culpam concomitantem, & præsens impedimentum, quod opponit; quatenus scilicet, cum Deus sit paratus, quantum in te est, dare omnibus gratiam & sufficientem & efficacem, & gratia sufficiens ex natura sua & voluntate Dei antedecedit ordinatur ad efficacem; homo maiora voluntate liberè protrumpens in actum inordinatum resistit gratia sufficienti, sicut ejus cursum; & ponit obicem gratia efficaci ponendo actum impossibilem cum illa & cum actu, ad quem moveret, si adesset. Audiamus S. Thom. præsens argumentum sibi proponentem & solventem 2. contra Gent. c. 159. Cuiusmodi, inquit, sicut ex præmissis habetur, in frænuatum aliquis dirigi non possit nisi auxilio divina gratia, sine qua est in nullus potest habere eam, que sunt necessaria ad tendendum in ultimum finem; sicut est fides, spes, dilectio, & perseverantia: Potest alicui videri, quod non sit homini imputandum, si prædictis caret, præcipue cum auxilium divina gratia mereri non possit, nec ad Deum converteri, nisi Deus eum converteret: nulli enim imputatur, quod ab alio dependet, &c. In ipsum argumentum, quod nobis in præsentibus obijcitur; cui sic respondet S. Doctor. Ad hujus dubitationis solutionem considerandum est, quod licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec mereatur, nec accipere possit: potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat, dicitur enim de quibusdam Jacob. 21. Diserunt Deo: Recede a nobis, scientiam virtutum tuarum nolumus, Est Job. 24. Ipsi fuerunt rebelles Ipmi. Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire divina gratia receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratia receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: Nul enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Tim. 2. sed illi soli gratia præstatur, qui in seipsis gratia impedimentum præstavit: sicut sole mandatum illum in mente in culpam imputatur ei, quicquid claudis, si ex hoc aliquid malum sequatur; licet videre non possit, nisi lumine solis præventatur. Similiter in 2. d. 28. quæst. 1. art. 4. ubi refert illud ex S. Anselmo: Quod aliquis non habeat gratiam, non est ex hoc, quod Deus non vult eam dare; sed quia homo non vult accipere. Item quæst. 3. de malo art. 1. ad 8. in 2. d. 37. quæst. 2. art. 1. & alibi sæpè.

Juxta hanc doctrinam Alvarez l. 3. de auxiliis disp. 18. num. 20. sic dicitur. Licet motio Dei prævia non sit in potestate creature voluntatis tanquam in causa efficiente... est tamen in facultate nostre voluntatis seipsam impedire, ne habeat illam motionem. Undè, si non operetur actum, qui est in precepto, imputabitur illi ad culpam, eo quod sua culpa se impedivit, ne daretur auxilium efficacem, quod necessarium erat actualiter operaretur actum virtutis, qui est in precepto: Sicut, si Deus imponeret homini preceptum volandi, & quantum est ex parte sua offerret illi alas & adiutorium necessarium ut voleret, ipse autem sua libertate responderet: Domine nec volo alas recipere, nec volare; merito reputaretur reus & transgressor precepti, etiam si non posset absque aliis volare, quia sua culpa se impedivit, ne illi donarentur a Deo.

Nihil simplicius, ut vides, nihil clarius ista repensione. Homo non habet gratiam necessariam ad observandum preceptum, quia illam non vult habere, seu quia illi opponit impedimentum, & ideo jure illi imputatur transgressio precepti. Attamen, si Tournello fides est Tract. de grat. quæst. 7. art. 4. concl. 3. *Ista responsio ita obscura & implicita videtur, ut vix*

intelligi, & nitidè possit explicari, quid sit in sententia Thomistarum non nisi ille gratia sufficientis usus; quid dispositio illa prævia, ad quam gratia illa efficacem certissime sequitur, quid denique illa non resistencia, an quid negativum, an quid positivum? Sed ea sor est Thomistarum apud Tournellum, ut quæcumque dicant, etiam antecore S. Th. sint obscura, implicita, infundata, & nullius momenti; quæ verò dicitur Moliniste, sint clara, distincta, fundata, numero & pondere gravissima. Et hæc sunt vici, qui utriusque partis momenta æqua lance librare promittit. Non ergo responsio S. Th. & Thomistarum est obscura & implicita; sed ipse Tournellus eam implicare & obscurare nitiuit sua responsione, in qua nobis imponit, non quæ dicimus, sed quæ fingit nos dicere. Ut quid enim excurrat in bonum usum gratia, in dispositionem prævia, ad quam gratia efficacem certissime sequitur, in negativum vel positivum non resistencia, de quibus nos nec verbum facimus? Neque enim dicimus, ideo gratiam efficacem conferri homini, quia bene utitur sufficienti, quia illi non resistit, seu consentit, quia bene se præparat ad efficacem; hæc enim scimus esse effectum gratia efficaciæ, & non ejus causam: sed dicimus, ideo hominem privari gratia efficaci, quia resistit sufficienti, quia efficacem non vult habere, quia peccando opponit ipsi impedimentum: & quia hæc duo longe diversa non distinguit Tournellus, omnia confundit.

Oleum ergo, & operam perdit Doctor Sobornicus, dum omnes nervos intendit, ut probet non resistenciam gratia sufficienti non esse quid negativum, sed quid positivum, scilicet esse ipsum consensum gratia, & in sententia Thomistarum ad omnem actum bonum positivum requiri gratiam per se efficacem; id enim non solum utro concedimus, sed pro aris, & focis cum SS. Aug. & Th. defendimus. At quod inde inferat Theologus Parisiensis, mandatum esse impossibile non habenti gratiam per se efficacem, toto celo aberrat. Quamvis enim ut homo non resistat, seu consentiat gratia sufficienti, indigeat gratia efficaci; ea tamen non indiget, sed sufficit mala voluntas, ut resistat, & resistendo privetur gratia efficaci necessaria ad servandum preceptum. Et in hac distinctione consistit totius nodi solutio. Itaque admittimus & constantè docemus cum utroque Doctore Gratia, quod non resistere gratia sufficienti, seu, quod idem est, ipsi consentire, sit quid positivum, & quod ad illud opus sit gratia per se efficaci; at quod ad resistendum, ad dissentiendum gratia sufficienti, ad ponendum impedimentum gratia efficaci, seu, quod idem est, ad peccandum, opus sit gratia per se efficaci, nemo sane mentis somniviæ unquam ad id quippe juxta communem sensum sufficit voluntas creata, quæ, quia est ex nihilo & libe. originali violata, est primum principium deficientis. Et quamvis hæc resistencia non fiat absolute generali Dei motione in ordine naturali, quatenus Deus ut provisor universalis in ordine naturali movet unumquemque secundum suam existentiam; quia tamen hæc motio movet voluntatem ut liberè agat, ideo homo liberè resistendo, liberè peccando, liberè ponit obicem gratia efficaci, & consequenter jure ei imputatur, quod eam non habet, & quod ea absente non servet mandatum. Liberum arbitrium, inquit Aug. de Corr. & Grat. cap. 11. ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono. Et S. Th. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. statuit hanc Regulam generalem: Defectus gratia, atque adeo pravi operis, prima causa est ex nobis: sed collationis gratia & impletionis precepti prima causa est a Deo, secundum illud Osee 13. Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Et in Ep. ad Hebr. cap. 12. Lect. 3. dicit, quod hoc ipsum, quod aliquis ponit obstaculum gratia, ex gratia procedit. Undè, si aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratia Dei... Hoc autem donum gratia non est gratum faciens. Quod ergo a quibusdam removeatur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei, quod autem non removeatur, hoc est ex justitia ejus. Et licet observandum, quod, quando S. Th. superius 3. contr. Gent. dicit, esse in potestate liberi arbitrii impedire divina gratia receptionem, vel non impedire; hoc non ita sit accipiendum, quasi utrumque sit æqualiter in potestate liberi arbitrii; impedire quidem potest per se, at non impedire, licet etiam possit, non potest tamen sine gratia. Hæc observatio non erat prætermittenda, ne textus S. Doctoris male intellectus deciperet incautos.

Ex his itaque concludo, & firmissime tenendum moneo, quod, quamvis verum sit hominem ideo consentire gratia sufficienti, quia habet per se efficacem; falsum sit tamen ideo resistere sufficienti, quia caret efficaci; sed e contra ideo caret efficaci, quia resistit sufficienti, proindeque merito imputatur illi quod ea caret, & quod ea absente non impleat mandatum. Causa verò, cur resistat sufficienti, non alia querenda est, ut jam dixi, quam mala voluntas.

Inst. Privatio gratia per se efficaciæ præcedit culpam & resistenciam sufficienti, estque causa illius: ergo non ideo homo privatur gratia efficaci, quia peccat & resistit sufficienti, sed Theol. Billuart. Pars Prima.

e contra ideo resistit & peccat, quia privatur gratia. Prob. Ant. Si adesset gratia per se efficacem, non resistetur sufficienti: ergo privatio gratia per se efficaciæ est causa, cur resistatur. R. N. absolute Ant. ejus falsitatem jam asseruimus ex S. Th. & iterum nunc magis probanda, quia in hoc vertitur cardo difficultatis. Verum est itaque, hominem peccare, seu resistere gratia sufficienti, & privari gratia efficaci, esse simul tempore; at ordine & natura peccatum seu resistencia gratia sufficienti præcedit, & sequitur privatio gratia efficaciæ. Relegantur, quæ jam protulimus ex S. Th. & attendatur ad sequentia. *Hominem carere gratia,* inquit S. Doctor in 1. d. 40. q. 4. art. 2. *ex duobus contingit: tum, quia iste non vult recipere; tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non vult nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est: sed quod iste careat gratia, non est bonum simpliciter: unde hoc absolute consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparat, quia justum est; & hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quod hujus defectus absolute prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret: sed ex parte Dei non est causa hujus defectus nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis.* Quo quid clarus, aut expressius dicit potest, non apparet. Quamvis ergo, ut dixi, hæc quo sint simul tempore, & peccare hominem, & Deum ipsi gratiam denegare; hic tamen est ordo constitutus, ut nunquam Deus denegaret gratiam, nisi quia homo non vult, eam recipere, non quidem directè; nemo enim tam sibi inimicus est, ut velit directè gratia privari; sed indirectè, in quantum ponit actum impossibilem cum gratia & actu, ad quem moveret, si adesset. Et hoc ideo, quia Deus non vult nisi bonum simpliciter: sed quod ea caret, quia eam habere non vult aut negligenter sed eam præparat, est bonum quia justum. Idem paucioribus verbis repetit S. Doct. q. 221. de verit. ar. 14. ad 2. *Rectè,* inquit *homo corrumpitur, qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia est, quod gratiam non habeat, per quam potest servare mandata.*

Eandem doctrinam constantè & passim tenet S. Doctor eamque variis aliis rationibus probat. Sic in 2. d. 24. q. 1. art. 3. o. pro principio habet, quod privatio non habeat causam per se; sed sequatur ex positione alterius, quod per se fit & intenditur: quia privatio, quæ est carentia formæ in subjecto capaci, est malum; quod maxime verum est de privatione gratia; malum autem nullam ex se causam habet, sed dumtaxat sequitur ex aliquo bono per se intento. *Id, quod est per se intentum ab agente,* inquit S. D. loc. cit. *est, quo aliquid bonum efficitur. Undè bonum per se causam habet; sed defectus incidit præter intentionem agentis.* Et hoc maxime contingit; quando id, quod per se intenditur ab agente, non comparitur aliam perfectionem. Sic, quia forma ignis non comparitur simul in eadem materiam formam aëris, ad positionem formæ ignis sequitur privatio formæ aëris; ex quo probat, quod ex hoc, quod quis adheret indebito fini, sequatur privatio debiti finis. Similiter, quia actus inordinatus non comparitur gratiam, ad positionem actus inordinati sequitur privatio gratia. Attamen; sicut in naturalibus privatio formæ, quæ corrumpitur, dicitur præcedere introductionem formæ genitæ in genere causæ materialis, & dispositivæ, licet subsequatur in genere causæ formalis; sic posset dici, quod privatio gratia in genere causæ materialis præcedat peccatum, licet peccatum præcedat in genere causæ formalis; & hac distinctione truntur quidam Thomistæ. Res tamen planius explicatur, si, nulla habita ratione hujus mutue antecessoris, simpliciter negetur, ut hucusque fecimus, privationem gratia præcedere culpam, & esse ejus causam. quia actus inordinatus per se intentus absolute antecedit, atque ex eo propter naturalem oppositionem sequitur privatio gratia.

Idque adhuc fit evidentiis ex consequentibus rationibus ejusdem Angelici Doct. Observat itaque in 2. d. 37. q. 3. art. 2. quod inordinatus actus sit culpa, privatio vero rectitudinis, seu etiam gratia poena, saltem aliquo sensu; culpa autem præcedit poenam. Undè arguit S. Doct. causa præcedit causatum, sed malum culpæ est causa mali poenæ: ergo prius est malum culpæ, quam malum poenæ; eodem collimat, quod habet q. 1. de malo art. 4. scilicet in naturalibus defectum actionis oriri ex defectu agentis, ut claudicatio oritur ex defectu tibie curvæ; sed in moralibus e contra malum agentis, quale est privatio gratia, oritur ex inordinatione actus, divina providentia ordinante poenam propter culpam. Nec obstat poenam infligi arbitrio Dei, ut alij docet S. Th. privationem autem gratia sequi ex impossibilitate ejus cum actu inordinato, ut modò dicebamus, ideoque videri non esse poenam; non obstat, inquam; quia dato, ob rationem factam, non ita proprie, & sub omni ratione esse poenam, & ideo dixi: aliquo saltem sensu; X

quia tamen nihil prohibet idem esse debitum, vel indebitum, promitti seu conferri pluribus titulis, & aliunde privatio gratiæ sit verum & maximum malum hominis; nihil etiam prohibet, quin dicamus Deum gratiam denegare in poemam inordinati actus.

Item juxta eundem S. Doctorem loco cit. 2. q. 37. art. 2. quælibet poena, & subinde subtractio gratiæ est in voluntate ut patiente, culpa verò ut agente; atqui agens natura præcedit passum, & actio passionem: ergo actus inordinatus voluntatis præcedit privationem gratiæ; & est causa illius; sicque homo non peccat, quia privatur gratia, sed idèo privatur gratia, quia peccat. Per prius, inquit S. Th. est inordinatio actus, qui est a peccante, in quantum est agens rationem mali habens quam ipsa subtractio gratiæ, quæ est malum poena.

Ut ergo omnia summatim referam, quinque rationibus probat S. Th. actum inordinatum præcedere privationem gratiæ, & esse causam illius, consequenter hominem non idèo peccare, quia privatur gratia; sed e contra idèo privari gratia, qui peccat. 1. Quia hominem privari gratia non est simpliciter bonum; at eum privari gratia, quia non vult eam recipere, est bonum quia justum; Deus autem non vult nisi bonum. 2. Quia actus inordinatus per se intenditur, privatio autem gratiæ sequitur præter intentionem propter naturalem impossibilitatem cum actu inordinato. 3. Quia in moralibus malum agens, quale est privatio gratiæ, sequitur ex malo actionis. 4. Quia actus inordinatus est culpa, subtractio gratiæ est poena, culpa verò antecedit poenam. 5. Quia actus est a voluntate ut agente, privatio gratiæ ut in patiente, actio autem præcedit passionem.

Ad probationem itaque hujus Antec. tot rationibus impugnati, concessio Antecedente, N. Conseq. Ex eo enim, quod si adesset gratia per se efficax, non resisteretur sufficienti, bene sequitur, quod gratia efficax sit causa non resistentiæ, seu consensûs; at inde non sequitur, quod absentia gratiæ sit causa resistentiæ, hæc quippe aliunde habet suam causam, scilicet malam voluntatem, quæ est primum principium delicti, vel ex ingenta corruptione, quæ ad malum proclivis est, vel ex nativa defectibilitate, ut ex nihilo; juxta illud jam laudatum S. Aug. de corr. & grat. cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Urgens: Juxta regulam Dialecticæ, si affirmatio est causa affirmatiua, etiam et negatio erit causa negatiua: seu quod in idem redit: oppositorum est eadem ratio: ut si sol lucens est causa diei, sol non lucens est causa non diei, seu noctis: ergo, si gratia efficax sit causa consensûs seu adimpletionis præcepti, subtractio gratiæ est causa dissensûs, seu non adimpletionis præcepti.

En, ni fallor, ultima meta argumenti usque ad tricas dialecticæ producti: sed quod forte miraberis, neque illud prætermittam S. Th. ex quo magis ac magis perspicies quantum a S. Doctore dissentiant, qui nobis hæc obijciunt. *Si gratia est causa meriti, inquit arguendo q. 3. de malo art. 1. n. 8. Ergo per oppositum subtractio gratiæ erit causa peccati.* En ipsa argumentum, quod opponitur: *oppositorum est eadem ratio; seu si affirmatio est causa affirmatiua, negatio est causa negatiua.* Illudque non solum hic, sed etiam in 1. d. 40. q. 4. art. 2. n. 4. & n. 2. d. 37. q. 2. art. 1. sibi opponitur S. D. & illud sicut præcedentia eadem semper solutione excipit. *Dicendum, inquit, 1. loco cit. de malo, quod Deus, quantum est in se, omnibus se communicat per caput eorum; unde quod res aliqua a participatione bonitatis ipsius deficiat, est ex hoc quod in ipsa invenitur aliquod impedimentum participationis divinæ. Sic ergo quod gratia alicui non apponatur non est causa ex Deo, sed ex hoc, quod ipse, cui gratia apponitur, impedimentum gratiæ præstat, in quantum avertitur a non avertente se lumine, ut Dionysius dicit. Eodem modo respondet in aliis loc. cit.*

Sed nec satis: juvat iterum audire S. Th. non quoad substantiam tantum, sed ipsissimis obijectionum terminis argumentum sibi proponentem, loco jam cit. in 1. d. 40. q. 4. art. 2. n. 3. *Secundum Philosophum in posterioribus l. 1. Textu 30. inquit, si affirmatio est causa affirmatiua, & negatio est causa negatiua. Sed velle divinum est causa, quod iste habeat gratiam, quia scilicet ipse vult: ergo videtur, quod non velle Dei sit causa, quare iste gratiam non habeat.* En proorsus & in terminis idem argumentum, ita ut crederes Adversarios ipsam a S. Th. emendicasse. Sic autem respondet S. Doctor. *Ad 3. dicendum, quod effectus non consequitur nisi concurrentibus omnibus causis: sed ex defectu unius consequitur negatio effectus. Dico ergo, quod causa gratiæ sicut agens est ipse Deus, & sicut recipiens est ipsa anima per modum subjecti & materię. & idèo quia forma inducitur non est causa materia, neque subjectum nisi tale, ex ejus principii fluit accidentem, quale accidens non est gratia; idèo non dicitur simpliciter anima causa gratiæ, sed recipiens tantum: Deus autem causa. Non oportet, quod omnis defectus incidat ex*

parte agentis, sed potest incidere ex parte recipientis; & ita est in proposito. Sensus itaque solutionis D. Thomæ est, quod hæc Regule Dialecticæ valent dumtaxat, quando ex utraque parte omnia principia, eodemque modo concurrunt; secus, si alterum principium desit. In receptione autem gratiæ omnia principia concurrunt, non in ejus generatione. Ut enim homo recipiat gratiam, necesse est duo concurrere, & Deum velle infundere, & hominem velle recipere, quia infusio gratiæ est bonum, & bonum producitur concurrentibus omnibus causis; ut autem homo careat gratia, sufficit unum deesse; nempe hominem nolle, quia, cum privato gratiæ sit malum, ex unius causæ defectu oritur. Ex quo consequitur, Deum equidè causam esse, cur homo habeat gratiam, & bene agat; non tamen causam esse, cur gratia privetur, & male agat; sicque hic non currere dicat Regula Dialecticæ. Insuper hæc Regule locum dumtaxat habent, quando rei affirmatiæ opponitur pura ejus negatio, ut in exemplo solis diei affirmatiæ opponitur nox, quæ est mera negatio diei; secus verò, si ex parte negationis involvatur aliquid positivum, quod aliunde propriam causam habeat, sicut contingit in proposito; non enim resistentiæ, seu dissensus, qui ex parte negationis opponitur consensui, fiet per meram negationem, seu suspensionem consensûs, sed per actum positivum inordinatum; cuius prima & integra causa est, ut jam non semel dixi, mala voluntas.

Tota hæc difficultas, quæ potissima est, aliquot exemplis illustratur. 1. Cùm peritus Scriptor manum imperiti discipuli movet & dirigit, quidquid est perfectionis in scriptura magistro tribuitur: at si discipuli manum magistri repellat, quod est imperfectionis in scriptura non tribuitur magistro non dirigitur, sed discipuli imperitiæ & malæ voluntati, quæ adiutorium magistri recusavit. Sic, quod homo bene agat, tribuendum est auxilio Dei ipsum moventis & dirigentis. At quod, recusato Dei auxilio, delinquat, non defectu auxilii, sed præve ejus voluntati, quæ auxilium recusavit, tribuitur.

2. Cùm sæviente tempestate navis periclitatur, salus ejus nauta dirigitur: at, si vi ventorum clavus ex manibus nautæ excutitur & perat navis, vera & integra causa naufragii non est defectus nautæ, sed vis tempestatis. Itaque, quando homo gravi tentatione pulsatus luctatur & resistit, id habet ex munere & gratia Dei; at si dominante cupiditate in peccatum ruat, vera & unica lapsus ejus causa est prava voluntas, & non defectus gratiæ.

3. Cùm quis lapidem manu suspensus tenet, at tandem ejus pondere fatigatus manum remittit & laxat, cadit lapis; hic autem casus ex ipsa lapidis gravitate oritur, non ex homine, quamvis tamen ex illo habebat, quod sursum elevebatur. Similiter, quod homo sursum elevatus Deo adhareat, beneficium est gratiæ sublevantis; at quod in profundum peccatorum descendat, ipso soli est tribuendum, & non Deo.

Neque dicas, hos omnes in exemplis cogi, scilicet nautam vi ventorum clavum deserere, P. acceptorum repulsa discipuli ipsum suæ imperitiæ permittit, & tenentem suspensum lapidem ipsum ejus pondere dimittere; cum tamen nulla sit malitia hominis, quæ Deum possit cogere, ut eum deserat. Enim verò Scriptura sæpè simili phrasi utitur, & Deum a peccatoribus vim pati & hominis malitia vinci conqueritur. Qui modis loquendi, quamvis non significet Deum violentia propriè dicta cogi, ut hominem deserat; inde tamen intelligitur, tantam esse malitiam hominis, quæ exigit, ut Deus eum deserat, & gratia sua privatum in peccatum labi permittat. Undè, quod facit vis ventorum respectu nautæ ut clavum deserat, repulsa discipuli respectu magistri ut ipsum suæ imperitiæ permittat, pondus lapidis respectu manûs suspendentis ut ipsum dimittat, id facit malitia hominis respectu Dei, ut ipsum deserat & gratiam suam ei deneger.

§. IV. Solvuntur objectiones ex affinitate cum Calvinismo.

Obj. *Gratia a se efficax est novum Lutheri Calvinique commentum, & ad illorum tempora in Ecclesia Catholica inauditum, oppugnatum ab Academicis, & Ecclesie Doctoribus, tum antea, tum post Synodum (Tridentinum) collectam, & a Conciliis reprobatur.* Itaque, re hæc diligenter examinata, existimare pronuntiat P. Livinus de Meyer Belga, novus & Soc. Scripitor, novo dicam odio; an furorè adversus Scholam Thomisticam concitus, in prima Dissertat. de mente Concilii Trident. quæ sub larvato nomine Liberii Gratiani primum prodit ann. 1709.

Hanc calumniam Thomistis primus struxit P. Bastida agens nomine Societatis in Congregationibus de Auxiliis, quam plaudente sacro consensu excussit P. Lemos actor pro Predicatoribus. Hanc autem accusationem, non veritatis sed recriminandi studium ab Adversariis extorsisse testatur Ripalda, alter ex eodem sodalitate Scriptor, Thom. 2. Disp. 113. sect. 9. num. 53.

Ban-

Bannes, inquit, & plerique ejus discipuli in publicis disputationibus privatisque sermonibus, & scriptis ceperunt notare illam sententiam (Molina) pelagianam. Contra nos, ut vocam Pelagianismi suæ sententiæ eularem, obijebant opposita (Thomistica) novam Calvinismi. Non ergo quod crederent, sententiam Thomisticam esse Calvinianam, sed ut notam Pelagianismi declinarent, Calvinismum Thomistis obijebant.

Post 40. circiter annos Franciscus Annatus ejusd. Soc. eandem calumniam instauravit; sed postea, poenitentia ductus, ait quod forte aliud exigeret ratio temporum, palinodiam cecinit, & in pluribus operibus variis argumentis ostendit, quod ipsi facile erat, Thomistas longè a Calvinismo, & Jansenismo distare. Pro quo vide Gonet in Apologia Thomistarum. Idem præteritum ejus sodales Stephanus Deschamps l. 2. de Janseniana heresi disp. 6. cap. 9. ubi agnoscit, *Nullus esse Theologus Jansenistis (& Calvinistis) infensiores, quam Dominicanos.* Antonius Moraines, seu per anagramma, Joannes Martinonius in opere suo Anti-Jansenio. Novissimè P. Josephus Sanctificus in opere dicato Benedicto XIII. cui titulus, *Jansenii doctrina ex Thomistica scholæ principii damnata.* Et plures alii. Qua fronte ergo Livinus de Meyer hanc ineptissimam calumniam refricare ausus est, contradicentibus sociis, & prohibentibus summis Pontificibus?

Novit quippe universus orbis literarius, quanto studio summi Pontifices doctrinam de gratia per se efficaci colerint, & ab omni nota vitium esse voluerint. Ut sileam de antiquis Pontificibus, Innoc. I. Zosimo, Coelestino, Gelasio, Hormisda, &c. qui doctrinam Aug. quæ est ipsissima doctrina gratiæ per se efficaciæ, quidquid reclamant adversarij, contra obtractantes defenderunt, & ut doctrinam Ecclesiæ haberunt. Nemo nescit, Clementem VIII. in Congregationibus de Auxiliis 30. circiter annis post Concilium Trid. habitis, quibus præerat Cardinalis Madrutius, qui interfuerat Concilio, sit in hac vitam doctrinam fuisse propensum, ut illum, constanter probatam ab omnibus Consultoribus, uno vel altero excepto, solemnè decreto asserere, & definire statuerit: Paulum V. Clementis successorem Bullam delineasse pro Predicatoribus adversus Molinam, non tamen promulgasse, sed interim prohibuisse, donec promulgaretur, ne ullis alteram partem aliquid nota dehonoreret. Et hæc omnia paucis annis, ut jam notavi, post celebrationem Conc. Trid. præsentibus, & probantibus, qui illi adjuverunt.

Item omnibus notum est, SS. Pontifices, qui in causa Jansenii egerunt, summam sæpè adhibuisse cautelam, ut in tuto esset sententiæ gratiæ per se efficaciæ, & prædestinationis gratiæ ad gloriam. Id præ ceteris præstitit Clemens XI. in Literis Pastoralibus officii datis 7. Sept. 1718. Deinde Benedictus XIII. in Brevis Denissas Preces dato 6. Sept. 1725. postquam declaravit, Thomistas Laudabiliter hæcenus docuisse sententiæ de gratia per se efficaci, & prædestinatione gratuita ad gloriam, eosque Commendabili studio gloriarī eas a SS. Aug. & Th. hausisse, & verbo Dei, summi Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis consonas esse; prohibet sub penis canonicis, ne quis dicat hæc doctrinam ulli Ecclesiæ decreto esse proscripam, aut Similes calumnias struere audeat. Et in Bulla Preteritis data Kal. Junii 1727. §. 41. dicit: *Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiæ Catholice perturbatores desistant orthodoxam S. Th. doctrinam calumniari, ac ne deinceps... tam Predicatorum Ordinem, quam alios veros ejus assensus, & sectatores incesse audeant; Constitutioni 98. quæ incipit Pastoralis officii felicis record. Clementis IX. omnibusque in ea contentis firmiter inhærentes, sub dicitri interminatione iudicij, iterumque sub canonicis penis, omnibus, & singulis Christi fidelibus mandamus, ne doctrinam memorati S. Doctoris, ejusque insignem in Ecclesia scholam, præsertim ubi in eadem schola de divina gratia per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla meritorum prævisione agitur, ullatenus dicto vel scripto contumeliosè impetant, ac velut contententem cum damnatis ab Apostolica Sede, et signanter a Constitutione 64. dicti fel. record. Clementis IX. incipientem Unguentis, Jansenii, Quesneli, et aliorum erroribus, traducant; a quibus S. Thomas, et vera schola Thomistica quam longissimè abest, & abjicit, universis tam antiquis, quam novis Christi Ecclesiam vexantibus heresibus, & perniciosis assertoribus adversans, Damnamus item folia, theses, & libros antehæc typis impressos, vel etiam, quod Deus avertat, imprimendos, in quibus, ad proferendam seu fovendam doctrinam S. Th. Predicatorum Ordini, aliisque genuinæ Thomisticæ doctrine assensu invidiam, designatæ, acque damnatæ a nobis calumnie assertoribus renovantur.*

Et quamvis hæc Constitutio Benedicti XIII. per aliam Constitutionem Clementis XII. quæ incipit *Romanus Pontifex* datam 3. Kalend. April. 1732. sit revocata, excipitur tamen a revocatione iste articulus commendationis doctrinæ D. Thomæ, & Thomistarum, ut patet ex alia constit. quæ incipit *Verbo Dei scripto* ejusdem Clementis XII. data 4. Kalend. Sept. 1733. in Theol. Billuarr. Pars Prima.

quia dictus Clemens XII. non solum approbat elogia, & privilegia data a Benedicto XIII. scholæ Thomisticæ, sed & expressè *Hæc una in re derogat Constitutioni suæ, quæ incipit Romanus Pontifex*, & plura alia hæc pertinentia notat dignissima declarat. 1. Ex traditione. 2. SS. Pontificum Prædecessorum suorum, quos omnes recenset, dicit, *S. Thomæ scientiam verbo Dei scripto, & tradito inmixtam esse; res divinas, & mores Christiani homine dignos ad rectam Ecclesiæ Ministrorum institutionem, & salutem animarum solidè pertractare, eamque conservare: & commendandam in tunc maxime, cum ingruente falsorum dogmatum illicite, fides Catholica, & Christiani mores... periclitantur.* Deinde, quia, & ipse quoque tanti viri doctrinam, in Conciliis etiam Oecumenicis celebratam, debitis præconiis, rei publicæ causa, ornare cupit, concedit Ordini Prædic. privilegium doctoratûs lauream conferendi iis, qui ejusdem S. Viri doctrinam in Gymnasiis Ordinis eorumdem P. P. Prædic. tradi solitam (N. B.) irripito audierint in quibuscumque Gymnasiis, scholis, studiis, & collegiis ejusdem Ordinis. Et quamvis verba notata SS. Pontifex referat ut dicta a Cardinali Protectore Ordinis Prædic. atque a Magistro, & Procuratore Generalibus, ea tamen approbat, & facit sua; idèo enim dictum privilegium concedit Ordini Prædic. quia diciturum *Preces pietate, & justitia nuntur;* & quia per istud privilegium intendit ornare tanti viri doctrinam, et amplificare sub tanto Magistro probe, incorruptæque doctrinæ studium inter juvenes.

Cùm autem scholæ nostræ æmuli tot elogia, & prerogativas non satis æquo animo ferrent, ea de re consequenti sunt apud eundem Clementem XII. Is, ut eorum querelas compesceret, aliud Breve edidit 2. de Octobr. 1733. quod incipit, *Apostolica providentia*; in quo, quæ dixerat in laudem, & defensionem doctrinæ Thomisticæ, confirmat, & corroborat; & quod quibusdam videbatur deesse suæ Constitutioni, *Verbo Dei*, superaddit, exprimitendo scilicet agi de doctrina gratiæ efficaciæ juxta sententiam SS. Aug. & Th., & Thomistarum; & ad qualemcumque Querulorum solatiū declarat, *Per laudes scholæ Thomisticæ delatas nihil esse detractum ceteris Catholicis scholis, sed servandum mandatum Pauli V. donec de istis controversiis hæc sancta Sedes aliquid definitum, ac pronuntiandum censuerit.*

Cæco cæciorem esse oportet, qui non videt juxta SS. Pontifices eandem prorsus esse S. Th. & Thomist. doctrinam circa efficaciam divinæ gratiæ, & prædestinationem gratuitam, subindeque nullum amplius superesse locum distinguendi, ut solebant adversarij, inter doctrinam D. Th. & Thomistarum, atque eos esse apertos, & pertinaces calumniatores, qui effutunt eam esse damnatam decretis Pontificum, & Conciliorum; de quo lege Thomis. Triumph. 2. p. art. 2. & ejus Apolog. §. 24. Imò ipse Molina hæc esse D. Th. doctrinam agnovit in 1. p. disp. 26. ubi dicit: *Ingenue fateor, mihi valde difficile esse ad intelligendum motum, & applicationem hanc, quam D. Th. in causis secundis exigit; & oppositam sententiam amplectitur.* Agnovit Vasquez 1. p. q. 14. disp. 99. cap. 3. ubi fatetur, S. Th. & antiquiores Scholasticos concordiam libertatis cum decreto explicuisse per ipsam efficaciam decreti, quatenus non solum substantiam actûs, sed & modum libertatis attingit. Agnovit Comimbriensis Societatis Collegium l. 2. phys. cap. 7. q. 14. a. 1. Serry Schola Thomist. vindic. p. 193. Agnovit tota Societas in libr. de ratione studiorum, qui prodit Romæ 1586. in quo expressè cavetur, ne inter alia, quæ agnoscit esse D. Th. sui cogantur defendere. *Causas secundas esse propriè, et in voce instrumenta Dei, et cum operantur, Deum in illis primum influere aut eas movere.*

Verum actum centies agerem, & ultra metam excurrerem, si hic referre vellem, etiamsi historicè tantum, omnia, quæ probant doctrinam gratiæ per se efficaciæ, esse, non novum Calvinii commentum, sed dogma ipsi Ecclesiæ coævum ab Apostolo per Aug. ad S. Th. transmissum, non a Concilio Trid. reprobatum, sed ipsi, & pluribus aliis, tum Conciliis, tum Pontificibus probatum, a celebrioribus orbis Academicis, illustrioribus Religiosorum Ordinibus, insignioribus Ecclesiæ Doctoribus, & Theologis defensus, & propugnatum. Sufficit hic indicare Auctores, quos Lector curiosus pro suo otio poterit his de rebus adire. Hi sunt, Thomas Lemos in Panoplia, Reginaldus de Mente Conc. Trid. Serry in Hist. Congreg. de Aux. Mausoulié D. Thomas sui Interpres, Piccinardi, Fasseau, auctoritas Philaletis exauctorata, Vanitas Philaletis, Nova Cassiopeæ stella, Camerarius antiquitatis de novitate, Victoria, Thomistis Triumph. & ejus Apologia; & alii bene multi. Cæterum ex dictis sufficienter vides, quo jam loco habeas Livinum de Meyer, & eos, qui illi concinunt. Antequam autem ejus rationes proponam, prælibandum est.